

Νοῦσαι γὰρ δεῖ, τῆς ζωῆς, καὶ τῆς ἀρχῆς ἐκάστης, πολλὴν ὑπεροχὴν εἶναι τῆς πρωτῆς, πρὸς τὰς ἄλλας.

“Intelligere oportet, vitæ, et principii cuiusque, multam excellentiam esse, primæ ad alias.”
Vitæ manifesta sit hic mentio; corpus proculdubio vivere, sine animo non potest. Ergo ex Aristotelis satis claro dogmate, et totum cælum est animatum, et sphaeræ eius singulæ, et astra earum omnia. Quid ergo mundum hunc, quem suis omnibus partibus, et toto, perfectum esse, et philosophi omnes, et cum iis ipse autumant, monstrum esse dicemus? Ut dimidius, cælo scilicet sit animatus? Dimidius, elementis nimirum, animo careat? Et si quasi Marinus Glaucus partim piscis, petra partim? Nullibi enim exactus hic philosophus, elementis videtur, aut animum assignare aut vitam. Nisi forte hanc alteram, sed contra metaphoricam leges suas. Ut quando de cælesti motu ait.

Καὶ τοῦτο ἀθάνατον, καὶ ἄπαστον ὑπάρχει, τοῖς οὐσιν, οἷον ζωὴ τις οὐσα, τοῖς φύσει συνεστῶς πᾶσι.

“Et hoc immortale, et incessabile existit, entibus veluti vita quædam existens, natura constantibus cunctis.”

Inter vero omnia, quæ natura constant, sunt etiam elementa. Quibus, quasi vita est cælestis motus. Sed vitam ostendimus nos internum esse entium motum. Motus autem cælestis, elementis est extrinsecus. Ideo eis vita, non nisi metaphorica est. Quando vero alibi asserit: Necessè esse mundum hunc inferiorem, superis lationibus esse continuum, eiusque omnes vires inde gubernari. Inferre proculdubio videtur, elementa a se nullas habere vires, per quas, vel esse, vel vivere dici queant. Quibus, et aliis forte quæ perierunt, Plutarchus scripsit, Aristotelem, neque animatum, neque sentientem, neque ratione præditum, neque intellectu: neque providentia regi, inferiorem hunc mundum, docuisse. Et cælestia his omnibus esse participia, περιγεῖα vero, quæ circa terram sunt horum nihil habere. Hoc præceptoris dogma Theophrastus videtur secutus, quia ut Proclus refert.

Ὁ μὲν Θεόφραστος, εἰκότως ἀρχὴν κινήσεως, τὴν ψυχὴν εἰπὼν.

“Theophrastus quidem, recta ratione cum principium motus animum dixisset.”

≡ Ἐμψυχον καὶ αὐτὸς εἶναι δίδωσι τὸν οὐρανὸν, καὶ διὰ τοῦτο θεῖον. Εἰ γὰρ θεῖος ἐστὶ φησὶ, καὶ τὴν ἀρίστην ἔχει διαγωγὴν, ἔμψυχος ἐστίν. Οὐδὲν γὰρ τίμιον ἄνευ ψυχῆς.

“Animatum et ipse, esse concedit cælum, et ob id divinum. Nam si divinum est, inquit, et optimam degit vitam, animatum est. Nihil enim præciosum, sine animo.”

Nam et Aristoteles in primo loco allatis verbis dixit.

Ὁ δ' οὐρανὸς ἔμψυχος, καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχὴν.

“Cælum vero animatum, et habet motus principium.”

Ipsum scilicet animum, et non naturam, quam principium motus esse definierat. Vel ergo hac in re, Aristoteles non sibi constat qui, et naturam, et animum, duas res inter scilicet valde diversas, principium motus esse dixit vel has duas esse idem est necesse. Quod tamen ipse sæpe negat: sed inconstantia hæc, in eius philosophia satis iam est a nobis patefacta. Ad rem redeamus. Cælum universum, singulasque sphaeras, astraque Aristoteles animata esse affirmavit XII tamen metaphysica supremo cælo, non animum tribuit, sed mentem. Ergo ibi animus, et mens tam celebri philosopho, eadem res sunt. Quis hoc, nisi bardus ferat? Reliquis vero sphaeris, animi vel dubius, vel pavidus; non est ausus, an mentes, an animi essent pronunciare. Sed archas et usias, uti alias diximus nuncupavit. Alexander, Aristotelicorum interpretum uti creditur, coryphæus, et principem, et primarium auditorem secutus, ipse quoque rationibus satis validis, et multis, enimatum esse cælum comprobavit. De schola eadem Philoponus, et Simplicius, rem eandem confirmarunt. Et hic addidit, astra, non solum esse animata, verum etiam sensitivo animo prædita esse asservit. Non equidem uti nos proxime, ex verbis Aristotelis deducta ratione. Sed Homeri, et ante Homerum Orphei carmine in ea sententia confirmatus.

Ἡέλιος ὃς πάντα ἐσορᾷ. καὶ πάντα ἐπακούει.